



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Cur mandatum dilectionis vocet nouum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

Iam enim victoria exiguo tempore differenda erat. ita Origenes, Chrysostomus, Cyrillus, Theod. Mopsuestenus Theophylactus. Imperatores ceteri cum pugna instat, spem vultu simulant, praelium sperare milites iubent, sed premunt animo curas & dolores: Christus certus victoriae, certus etiam mortis, totum hoc opus clarificationem vocat, Paradoxon autem videbatur, summam gloriae in crucis ignominia collocare, sed ita Deo visum, ut cunctis certum esset, non posse venire ad regnum fideles, nisi per crucem.

§. 2. Alio autem sensu dicit, Eos iam sequi non posse, alio dixerat Iudaeis. Apostoli iam sequi non poterant, diuino decreto ad aliud tempus dilati, Iudaei nunquam secuti sunt, nisi qui à perfidia recesserunt. Nonnulli ad Apostolorum infirmitatem referunt, qui nondum ad obeundam pro Christi gloria mortem sat animo erant parato, & firmato, quod experientia declarauit.

VERSUS 34. 35. & seq.

Mandatum nouum do vobis, ut diligatis inuicem: sicut dilexi vos, ut & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem, &c.

QVÆSTIO I.

Cur mandatum dilectionis vocet nouum?

§. 1. Syrus suo more habet *ܟܕܝܟܐܝܢ* chad lechad, Syrus ad vnum. In Græco etiam est quædam varietas lectionis, quæ tamen sensum non immutat.

Cur autem nouum vocat mandatum, cum olim Iudæis dictum sit: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, omnes auctores quaerunt; præsertim cum Ioannes in Epistola sua, nouum vocet & vetus. Chrysostomus nouum ait: *ἡ τοῦ ἀγαπᾶν* modo, nempe, ut diligant se mutuo, sicut ipse dilexit eos, non frigide, non inconstanter, sed in finem, sed ut vitam pro fratribus ponere sint parati. Sic etiam Theophylactus; nempe hoc Christum exigere, ut sicut ipse gratuito, nullo discipulorum merito antecedente dilexit, imo inimicos humana natura corrupta, ita quoque se mutuo diligant, hostes etiam & fratres à quibus iniuria afficiuntur, beneficiis sibi conciliare nitantur. Hanc perfectionem amoris postulare noua lege Christum. Verum hæc omnia etiam in lege veteri commendata fuere. Nam perfectam caritatis normam lex diuina constituit.

Noua non ideo quod sine ceremoniis. Nonitatem legis nonnulli in eo constituunt, quod absque figuris, & caerimoniis discrete promulgetur. Verum tam clari, tam emphaticis etiam olim verbis promulgata fuit, ut nullæ caerimoniæ obscurare lucem illam potuerint, inuerint omnes potius ac promouerint. Nec decorum ut Deum tales caeremonias dedisse populo suo dicamus, quibus à fine legis & perfectione, vnde lex & Prophetæ, omnesque ritus pendebant, auerterentur.

Augustinus mandatum interpretatur nouum, quod noua quod renouat. Tract. 65. Nonne iam erat hoc mandatum in antiqua Dei lege, ubi scriptum est: *Diliges proximum tuum, tanquam teipsum?* An ideo nouum, quia exuto vetere homine, induit nos hominem nouum? Innuat quippe audientem, vel potius obedientem, non omnino sed ista dilectio, quam Dominus mandat. & ut à carnali dilectione distingueret, addidit: Sicut dilexi vos. Dilectio nos innouat ut simus homines noui. Hæc eadem omnes quoscumque Deus in suos rece-

pit, à mundi principio, renouauit, & renouans, re-formans, regenerans.

§. 2. Non ambigo modo illo nouum mandatum posse dici. Nouum tamen appellari malo, quod moribus in contrarium prævalentibus antiquum erat, ita ut in paucissimis eius vigor resideret. Pauci Christum sequebantur, nec omnes illi sinceri erant, inter ipsos Apostolos ambitio gliscibat venenum caritatis. Pharisei cum dicerent. *Diliges proximum tuum*: addabant; & *odio habebis inimicum*, quo additamento, penitus caritatis legem corruerunt. Nouum igitur mandatum dedit, nouum & vetus vocat Ioannes. Vetus quia olim datum in deserto, nouum quia renouatum, & in motus reductum, postquam vitia antiquam legem penitus obruerunt, aut aboleuerunt. Hanc igitur Christus iterum renouatam suis inculcat: in eam omnia consummantur: Hanc non modo ut Dei legis summam, sed ut suæ incarnationis causam, & Ecclesiæ toto orbe dispersæ vinculum commendet. Quasi omnium incurius hoc in mandato solo hæret.

§. 3. Quam hac mutua dilectionis notâ suos Christus discernat ab alienis, inquit Calvinus, frustra se fatigant qui relictâ caritate nouos & commentitios cultus suspiciunt, qualis hodie vanitas in Papatu regnat. Hoc in Sectaris conuenit, qui relicta caritate, vnitatem, fidem, nouos cultus, nouas opiniones suscipiant, apud quos multi, & contrarii regnant errores. Nouos cultus non habet Ecclesiæ. Quicquid nouitatis nomine inuisum populo reddere laborant nouatores, antiquum est.

Quod si mandatum Apostolis proponitur, sola fides non sufficit, mandati enim obseruatio requiritur, ipse Calvinus hoc agnoscit. Quisque vero Christi esse & à Deo agnoscere cupit, totam vitam componat, & dirigat ad amandos fratres, & huc se assidue sollicit. Itaque à Deo pro alieno habetur, qui fratrum amore caret, omnia enim facere potest inimicus Dei, amare non potest, aut si amat, iam est amicus. Itaque vera est, & trita Augustini sententia. Fides sine caritate potest esse, non potest prodesse. Idem lib. 50. hom. 7.

Et Enchiridii c. 67. Librum autem de hac questione scriptum, cuius titulus est, de Fide & operibus. Vbi secundum scripturam Sanctas, quantum Deo adiuvante potui, demonstravi eam fidem saluos facere, quam satis euidenter expressit Paulus Apostolus dicens, In Christo enim Iesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed fides quæ bene per dilectionem operatur. Si autem male & non bene operatur, proculdubio secundum Apostolum Iacobum, mortua est in semetipsa. Qui rursus ait, Si fidem dicat se quisquam habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides saluare eum? Porro autem si homo sceleratus propter fidem solam per ignem saluabitur, & seipsum accipiens, quod beatus Paulus Apostolus, Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem: poterit ergo saluare sine operibus fides, & falsum erit quod dixit eius Coapostolus Iacobus. Falsum erit & illud quod idem Apostolus Paulus dixit, Nolite, inquit, errare, neque fornicatores, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque maledici, neque ebriosi, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Si enim etiam in istis perseverantes criminibus, tamen propter fidem Christi salui erunt, quomodo in regno Dei non erunt?

§. 3. Hoc autem Christianorum symbolum est, mutua caritas. Proprium enim discipulorum est, imitari magistrum. Vide Augustinum q. 71. in lib. 99. 83. Caritatem Athanasius illis qui mirabantur, misericordes, & caritatem præditos plures fieri à multis, quam eos qui mirantibus illustres erant, respondet. Non à seipsis hoc iussu- gium dixerunt: Sed cum audierint seruatores nostrum dicentem: Hinc cognoscent omnes quod discipuli mei sitis, non si signa feceritis, sed si dilexeritis vos inter vos.

CAPVT